

1537

*Veneri ap-
paratus ad
bellum Tur-
cicum exci-
piendum.*

rari; illum veris initio Aulonem venturum, qua in urbe pa-
nis nautici ingens in classis usum copia parabatur. Senatus
cum barbarorum fidem jamdiu suspectam haberet, non am-
plius cunctandum ratus, totum se ad belli studia convertit:
delectus militum haberi; ditionis maritimæ oppida mayo-
ribus præfidiis firmari; tormentarium pulverem, commea-
tus, quæque ad hostium impetus sustinendos necessaria, at-
que opportuna viderentur, quamprimum mittenda curavit:
in peramplo navali, quod egregio, ac prope stupendo o-
pere exædificatum, magnum navigiorum, atque omnis ge-
neris fabrorum, & artificum numerum, qui publico ære
aluntur, continet, intentiore cura veteres triremes refici;
novæ ad quinquaginta numerum ædificari; majoresque tri-
remes, præcipuum belli pondus, summa sollicitudine instrui,
ut centum triremes in usus belli adornarentur, decretum.
Classis imperator Hieronymus Pefareus deligitur; pecunia
summo studio conquiratur; atque ut privatis opibus ad pa-
triam juvandam aliquo honoris præmio cives divitiis floren-
tes allicerentur, tres divi Marci Procuratores creantur, An-
dreas Capellius, Hieronymus Bragadenus, Jacobus Cor-
nelius: singuli duodecim aureorum millia in ærarium con-
gessere. A Pontifice ex sacerdotiorum decumis ducenta au-
reorum millia petita, ab eodem varias neſtendo moras dila-
ta. Artificum civitatis collegia certum remigum numerum in
armandas triremes tribuere jussa: oppidis, quæ Veneti ducatus
limitibus comprehenduntur, triremes imperatæ; Clodien-
sibus binæ, trierarchorumque eligendi jus concessum; Laure-
tanis, atque iis, qui Caput aggeris incolunt, totidem; Mu-
rianensibus, adjacentibusque parvis insulis itidem duæ. At-
que ut magnarum rerum negotia exactiori indagine, ac ma-
turiore prudentia discuterentur, majoribus Præconsultoribus
tres adjecti fuere, quos *Adjunctos* vocarunt: magistratum
primi iniere Thomas Mocenicus, Nicolaus Bernardus, Mar-
cus Antonius Cornelius, longo rerum usu inter insignes Se-
natores connumerati. Auxiliis ab humana ope, atque industria
petitis, vetere, ac religioso Reipublicæ instituto ad Deum
Optimum Maximum ac superos versæ mentes; ad templa to-
ta civitate supplicationes habitæ; in pias præces cunctis civita-

Hieronymus Pefareus classis imperator.

Andreas Capellius, Hieronymus Bragadenus, Jacobus Cornelius Procuratores. Veneri decumas a Pontifice petitis.

Præconsultores a Senatu aliis adjecti.

Supplicationes Veneriis habitæ, & frumenta egenis tributa.